

Bibliothèque numérique

medic@

Déidié, Jean Joseph. - De
Cucurbitulis, moxa et acupunctura

1787.
Montpellier : Picot
Cote : Montpellier, 1788, n°50

50.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA *D E* CUCURBITULIS, MOXA, ET ACUPUNCTURA,

QUAM Deo duce & auspice Dei-parâ, in
Augustissimo Ludovicæo Medico Monspe-
liensi, publicis subjiciebat disputationibus,
JOANNES-JOSEPHUS DÉIDIÉ, Leonacensis,
Diœcesis Foro-juliensis apud Gallo-Provin-
ciales, Liberalium Artium Magister, &
jam-dudum Universitatis Medicinæ Mon-
speliensis Alumnus, die 27 Augusti 1787.

P R E S I D E

N. N. D. D. FRANCISCO VIGAROUS, Ludovicæi
Medici Monspeliensis Professore meritissimo.

Pro primâ Apollinari Laureâ.



M O N S P E L I I,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Universitatis
Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXVII.





ILLUSTRISSIMO , NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D.

LUDOVICO DE THOMASSIN ,

EQUITI , MARCHIONI DE PEINIER ,

REGI A SANCTIORIBUS CONSILIIS , IN SUPREMA
PROVINCIALIUM CURIA PRÆSIDI HONORARIO , REI
JUDICIARIAE , CIVILIS , ÆRARIAE , MARITIMAE , ET BELLI
PRÆFECTO IN INSULIS GUADELOUPE , MARIE-GALANTE ,
ET ALIIS , &c. &c. &c.

VIR NOBILISSIME ,

*Si quid habeam , si quid possim , totum
hoc munerei tui est . Unum adhuc optandum
restabat , opusculum istud , et si tenuis fili ,*

nomine tuo condecorari fineres , non , quod
dignum certè qpatrocinio tuo rectigal ex hoc per-
solvere crediderim , sed , quod solum in me est ,
obsequii Ⓝ reverentiæ pignus tibi offerre. Lon-
gum vivas incolumis , hæc sunt vota ,

Obsequentissimi & tibi devotissimi
Clientis ,

J. J. DÉIDIÉ.

(5)



DISSERTATIO MEDICO - CHIRURGICA

D E

CUCURBITULIS, MOXA ET ACUPUNCTURA.


RECTIUS quidem noverant antiqui Medicinæ Patres, topicorum, attrahentium, epispasticorum energiam, & ulcerum artificialium utilitatem in debellandis pluribus morbis sive acutis, sive chronicis, testante observatione. Damnandi igitur recentiores Medici, apud quos, post detectam sanguinis circulationem harvænam, penitus fere obsolevit, & oblita quasi jacuit horum-ce auxiliorum doctrina, quæ, regulari & constanti motui humorum progressivo, minus bene congruere videretur.

In hoc enim naturam imitari voluerunt, quæ humorum motus mutare valet, aliò dirigere, ad certa quædam loca præ aliis determinare, & salutaribus hisce moliminibus à

(6)

noxiis corpus expurgare; & à morbis solvere. Sic 1º. apud infantes efflorescunt in facie, aut capitis cute capillatâ, achores, favi, tinæa, quæ lippitudines, tusses, epilepsias, aliosque hujus-ce ætatis morbos radicibus sanant, & à recursu liberant, quamdiù fluunt. Sic 2º. morbi exanthe-matici, herpes, scabies, quartanam pertinacem, epilep-siam, maniam, asthma plerūmque sanare observantur. Sic 3º. exulcerationes in variis corporis partibus factæ hoc fartum te&tumque servant dum fluunt, ast plurium malorum sunt mineræ, si improvidè exsiccata cohibeantur. Ulcera inveterata, critica, maximè apud ætate proiectos, sanare aut exsiccari funestum est.

Naturâ enim duce & favente analogiâ, cucurbitulas, moxam, vesicantia, cauteria, scarificationes sæpius in usum advocabant veteres, ut naturæ moliminibus supplerent, humores ad certa loca determinarent, derivarent, revelle-rent, motus illorum mutando, invertendo. His etenim auxiliis naturam supplere felicitè novit ars nostra in morbis sive externis, sive internis, quod de cucurbitulis, moxâ & acu-puncturâ verum esse probandum habeo, & ex hoc præcipue horum-ce auxiliorum utilitatem & præstantiam demonstrare. Ut autem cum ordine procedat hæc disquisitio, dicam, & breviter quidem, quantum potero, de singulis; 1º. quid sint; 2º. quibus morbis opitulentur, ut dein observationibus satis instructus, facilius enucleare detur, cur quomodo, quandò in usum advocari possint & debeant hæc-ce auxilia: istud autem ultimum ex bene perspectâ derivationis & revulsionis theoriâ palam fiet.



§. I^{us}.

D E C U C U R B I T U L I S.

CUCURBITULÆ vocantur vasa diversæ magnitudinis, vitrea, cornea aut ænea, quæ cuti calida applicantur ut, sublatâ æquabili aëris ambientis pressione, huc libera humoribus via aperiatur. Ampliantur enim tunc & turgescent vasa, humores huc attrahuntur. Circà methodum admovendi cucurbitulas, illarum selectum & dispositionem, seù manualem operationem, differere nostrum non est. Hæc enim minus essentialia ab *Heistero* aliisque exactius delineata & figuris expressa, utilius legi possunt. Hoc tantum dicam, cucurbitulas applicari siccas vel cruentas. Si enim cultello vel scarificatorio peculiari conciditur cutis antè vel post operationem, ut major sanguinis effundatur copia, cruentæ vel scarificatæ dicuntur.

Hoc autem sub cucurbitularum applicatione semper desideratur, ut fiat localis vel irritatio, vel vacuatio. Potentius enim utrumque commovet humores fortius impactos, & derivat, aut revellit, si impetuose nimis ad certa corporis loca rapiantur, mutando illorum directiones, frangendo & invertendo particulares fluxus.

Hinc igitur, 1º. ad derivandum plurimum contulerit cucurbitularum applicatio, quæ, suprà locum affectum, aut, in quantum fieri potest, vicinum, fiet. Sic in morbis soporosis, apoplexiâ, v. g., utilissimum sensent artis clinicæ

(8)


principes cucurbitulas scarificatas occipiti apponere , ut ad venas occipitales determinentur humores rapti ad caput , neque præsentius ullum auxilium afferit *Morgagnus* , aliquæ plures , post veterum dogmata. Felicitè quoque adhibentur in eodem loco , aut vicinis , adversus morbos faciei , maximè fluxiones pertinaces , quæ oculos , nares , aures infestant. Cucurbitulis scarificatis ad femora , aut crura applicatis , restitutum sanguinis fluxum novimus. Parotidem subsidentem , cucurbitulâ siccâ , sub ipso subsidentiæ statu , huic appositâ , iterum intumuisse , & criticâ suppuratione febrem malignam solvisse testabatur nobis Vir Clinicus fide dignissimus D. *Vigorous* , Professor meritissimus.

2º. Humores revellunt efficaciùs adhuc cucurbitulæ. Ægrum à delirio phrenitico liberavit , sæpiùs repetitâ cucurbitularum siccârûm applicatione suprà spinam dorsi & femora , clariss. idem Vir. Anginam gravissimam aliis auxiliis rebellem , cucurbitulis scarificatis suprà genua internè positis curatam , refert *Dekkerus*. Efficacissimum præbent auxilium cucurbitulæ scarificatæ adversus tumores albos , rheumaticos , quæ genua ut-plurimùm infestant. Cucurbitulis suprà hypocondria appositis narium hæmorrhagiam compesci ex veteribus norunt omnes quotquot illorum curant dogmata. Sanguine ex utero immodicè fluente grandiorem cucurbitulam sub mammis applicandam præcipit *Hippocrates* . quid plura memorem ; mirum ait *Heisterus* , quantum valenter sanguinem undequaque attrahant & extrahant , & versus determinatum locum trahant. Promptius & efficaciùs nullum est auxilium. Nulla est enim corporis pars in quâ cum successu non possint adhiberi ; immò & venæ-sectionem supplere ,

(9)

si propter virium imbecillitatem institui non possit , vel
propter vasorum tenuitatem.

Quænam sint illius operationis regulæ , theoria , cautelæ
commodiùs dicemus postquam de moxâ & acupuncturâ
dixerimus , & horum-ce auxiliorum præstantiam observa-
tionibus comprobaverimus. Neque enim diversa est agendi
ratio , eadem ferè est energia & indicatio. Sit igitur.



§. II^{us}.

D E M O X A.

QUOD remedium non sanat , ferrum sanat , ait Hippocrates ,
quod ferrum non sanat , ignis sanat , quod ignis non sanat ,
insanabile dici opportet. Hæc semper fuit Hippocratis & Vete-
rum mens circà ustionis efficaciam , ut in pluribus morbis ad
hoc-ce remedii genus tanquam ad sacram anchoram confu-
gerint. Ustio autem illa non ad morborum sanationem tan-
tum , sed ad illorum præservationem in pluribus regionibus
instituitur. Apud siculos , teste Aquapendente , mos est varias
corporis partes comburendi , ut sani serventur. Barbari Libyæ
populi pusillis suis quarto ætatis anno venas cervicis adurunt ,
ut à familiaribus morbis servent. Solemnis est apud Italos
cervicis ustio , & plurimæ gentes hâc methodo firmitatem
corpori conciliant , ut laboribus , exercitiis , venationi
aptiores evadant. Sed de moxâ tantum , ustionis specie ,
proponitur quæstio. Circà quam inquiram , 1^o. quid sit ,
& quænam illius applicandi methodus ; 2^o. quibus morbis
opituletur , & in quibus casibus cauterio actuali præstet.

B

(10)

Mirandum sanè , sed simùl dolendum , adeò exsolevisse
 hoc auxiliī genus , immò tanquàm noxiū aut inutile à
 pluribus ablegatum fuisse. Antiquissima enim est moxæ appli-
 catio , igne aut cauterio actuali horrenda minùs & tempe-
 rator , & in quibusdam morbis efficacissima. *Hippocrati* &
 veteribus sive Arabis , sive Græcis familiare fuit hoc reme-
 dium , et si urendi modus & materies dissimilis fuerit. Ex
 lino crudo moxam parabat *Hippocrates*. Pannum gossipinum
 Gallicè *coton bleu* , Arabes adhibebant ; apud Indos medulla
 junci oleo sesami imbuta vigebat ; Sinenes autem & Japonii
 apud quos celebratissimus est moxæ usus , stupâ utebantur
 molliculâ , facilè inflammabili , ex artemisia latifoliæ adhuc-
 dum novellæ foliis contusis ad lanuginis mollitiem , paratâ.
 Nos verò gossipio carpto utimur , in formam cylindruli ,
 linteī ope circumvoluto , pollicis diametrum & altitudi-
 nem habente. Cylindrus ille cuti dolenti , salivæ aut gummi
 ope appositus , progressu lento comburitur , & escharram
 plus minùs-ve profundam pro medentis metu relinquit.

Ast potentiùs nullum habemus auxilium in humorum
 congestionibus , maximè inveteratis & pertinacibus. Sic in
 morbis chronicis plerisque , in doloribus rheumaticis , sive
 caput , sive pectus , sive articulos profundiùs infestent ,
 magis adhuc si frustranea fuerint alia remedia , balnea ,
 stillicidia , frictiones , rubefacientia , vesicatoria , efficacissima
 erit ustio. In his enim , ob humoris profundam congestio-
 nem & partis infarctum , fibræ motus languent , aboletur
 ferè oscillatoria facultas , sensibilitas immunitur , uno verbo
 torpescit vis , motus , actio & vita in parte , solâ ustione
 feliciùs exfuscitanda.

(11)

1º. In morbis capitis chronicis , epilepsia , mania , melancolia , Sinenses , magis adhuc nigratae , testante *Kempfero* , totam futuram coronalem longa & larga stupra comburunt , & sanitas saepè desperata redit. Epilepsiam ustione sanatam memorat *Tulpius*. Hanc commendat in simili casu *Aræteus*. Plurima magna de hocce medicamenti genere promittunt *Severinus* , *Hildanus* , *Prosp. Alpinus* aliique. Quid possit moxæ usus in defluxionibus avertendis , aut discutiendis inferiùs demonstrabimus.

2º. Fonticulos per ustionem felicitè adhibitos in morbis pectoris à pituita crassâ , frigidâ , pulmones obruente , in asthmatis hac specie , in phthisi incipiente , testantur *Willifus* , *Aquapendens* , *Hildanus* , *Bennetus*. Ast in empyemate , aut quacumque suppuratione vel imminente , vel fiente , vel jam facta utilissimum erit latus moxâ adurere juxta veterum exemplum & præceptum. *Evagoræ filius Cynetas* è morbo laterali aridus , crura gerens calamacea puris expers nuncius tabis , pluribus escharis corpus inustus , in concionem prodiit. Gal.

3º. Adversus morbos rheumaticos sive caput , sive pectus , magis adhuc si articulos afficiunt , moxam applicare expedit ad sanationem. Hinc in hemicraniâ , clavo , maximè , si sint pertinaces , materies in textu cellulari profundiùs lateat , aut pericranio fortius inhæreat , & frustranea fuerint alia auxilia , locum dolentem moxâ comburere optimum erit. Dolorem rheumaticum pectus pertinaciter infestantem , moxâ , in se ipso sanavit clariss. *Pouteau* , undè sputatio facilis , pectus sublevans.

4º. Tandem in coxendico dolore crus adurendum multis &

(12)

profundis ustionibus, ait *Hippocrates*. Ultimum est, & in veteribus morbis efficacissimum, ait *Celsus*, tribus aut quatuor locis suprà coxam adurere; omnes enim hi dolores, ubi inveteraverunt, vix citrà ustionem finiuntur. Moxæ autem efficaciam in doloribus ischiadicis comprobat quotidiana observatio.

Hic autem inquirere necessum est, 1^o. An ignis seu cauterium actuale sit causticis anteponendum? 2^o. An ustio ex ferro candenti, lentæ combustioni per moxam præstet & quandò?

Quoad primùm: ignem causticis præstare ita crediderunt antiqui ut quoscumque ferè morbos cauteriis aggredi non dubitaverint. Timidi vero nimis recentiores ignem tanquam remedium crudele oblivioni penitus damnaverunt. In hoc autem nimii omnes. Hoc enim generalius asseri posse credo, ignem præ causticis palmam mereri in morbis jam memoratis, qui ab humorum visciditate, frigiditate, inertia ducunt originem, maximè si jam inveteraverint & profundiùs sedem suam figant. Sic in doloribus, tumoribus glandulosis, obstructionibus, etiam internis, in hydrope, anazarcâ, ut exemplis confirmavimus.

2^o. In ulceribus fungosis, humidis, saniosis. 3^o. In anthrace, gangræna humida depascente, in carie, nemine contradicente, & certè recentioribus hæc laus debetur nostris, quod ignis & moxæ usum ab oblivione vindicare quotidiè studeant. Neque enim innocuus est causticorum usus. Immò sæpiùs funestus & lethalis. Quot enim ex illorum applicazione clades non dicam apud Agirtas solùm & circulatores. Insuper non una est in igne aut moxâ salus, suppuratio;

(13)

maxima præstat subitanea irritatio quæ commovet humores, fibras, nervos, vasa stimulat, viscida, impacta, solvit, frigida calefacit, sensibilitatem, mobilitatem restituit, uno verbo vitam exsuscitat.

Hic quæri potest, an scilicet moxæ applicatio cauterio & ferro candenti præstet, seu, an lenta combustio subitaneæ sit anteponenda? Hoc animadvertisendum, 1º. ignis vim & energiam profundiùs imprimi & validiùs commovere, exagitare sive solida, sive fluida, quod subitanea magis & celerior erit. Hinc in casu viscidæ & frigidæ infarctus, magis adhuc si vetus sit, & altius lateat, ferro candenti profundè satis adurere expedit. Unica enim sufficerit ustio ex ferro candenti, neque enim unica sufficit moxæ combustio, experientiâ teste. Nimis autem crudele foret, ter, quaterve eumdem locum moxæ comburere. 2º. Si potentius derivare, revellere necessum fuit, ferrum candens certius & tutius id præstabit. Hinc in dolore pertinaci, qui aliis revellentibus & vesicatoriis non cessit, sic, si exsiccare, consumere humidas & sucrentes carnes in ulceribus fungosis, sic, si, inflammatio artificialis sit illicè excitanda, suppuratione promovenda, aut renovanda, plus valet ferrum candens quam moxa. Quid plura memorem? Hoc annotare sufficerit, lentam ustionem timidæ ægrorum pusillanimitati videtur magis consuluisse, quam utilitati: veterinariorum experientia luculenter satis commonstrat.

Nunc vero stabilità tūm cucurbitularum, tūm moxæ præstantiâ, restat indagandum, quod promiseram, cur, quomodo, quandò in usum advocari debeant? Quod ex sequentibus fortè innotescet.

(14)

1º. Quidem præcipui horum-ce auxiliorum effectus sunt vacuatio & irritatio. Sed , notante Cancell. ampliss. , hujus ætatis Clinici non satis colunt præcepta medica antiquitùs condita ex consideratione sympathiarum quæ à loco vacuato aut irritato propagantur ad partes vicinas , aut è directo positas. Hinc enim æquum est deducere derivandi & revelandi leges , non ex theoriis , ex pravè huc detortâ hydraulica , confectis in artis perniciem.

Derivatio enim apud saniores dicitur humoris illapsi tractus in vicinum , revulsio autem humoris illabentis in contrarium. Hæc *Fernelius* cum veteri scholâ. Igitur sub derivationis operatione attrahuntur , alliciuntur humores illapsi , jam impasti & hærentes. Revulsione autem turbatur humorum inclinatio , invertuntur motuum directiones , quæ ad certa quædam loca nimio impetu hos rapiunt. Vacuatio autem & irritatio potentius hæc præstant , testante experientiâ & observatione , ut lucidè fusiùs demonstrat sympathiarum doctrina.

Hæc sint igitur circà moxæ & cucurbitularum usum , leges generales therapeuticæ.

P R I M A L E X.

Derivatio fieri debet in parte affectâ , aut huic , in quantum fieri potest , vicinâ , vel sympatheticè cùm illâ quocumque modò consentiente , maximè vero juxtâ reëstitudinem.

Derivatio igitur locum habebit adversus fluxiones perfectas , jām factō humorum decubitu. Hinc in coxendico

(15)

dolore crus adurendum multis & profundis ustionibus. Eadem erit hujusce auxilii efficacia in parte vicinâ aut sympatheticè consentiente è directo. Laudantur enim humorum cursus qui fiunt è directo. Hinc laudanda vesicatorii, aut moxæ applicatio in ischiade, si juxta nervi tractum fiat. In hoc casu nunquam *Cottunium* sefellit vesicantis actio, suprà peronei, seu fibulæ caput impositi, sic, ut totam ejus loci subcutaneam nervi ischiadici partem comprehendenderet. Hujus observationis veritatem jam comprobaverat Cancell. illuistriss. & nos ipsi paucis ab hinc experti sumus. Hinc cucurbitulis occipiti appositis derivationem moliebantur veteres in apoplexiâ; moxâ comburitur pectus in asthmate aliisque.

S E C U N D A L E X.

Ex *Galen* unicum prorumpentium humorum auxilium est revulsio. Hæc autem utiliter fiet sub fluxione imminentे aut incipiente, dum exagitati humores varias corporis partes infestant, aut in unam quasi per saltus feruntur. Sic materiem arthriticam retropulsam viscera minitantem epispafticis ad articulos revellimus, sic humorum cathartropiam seu raptus sursùm cohibemus, cucurbitulis ad femora, crura appositis; quid alia memorem.

T E R T I A L E X.

In fluxionibus inveteratis quæ materiem profundiū impastam habent & sedem immutabilem, auxiliis nostris loco affecto appositis, optimum erit solida languentia, &

(16)

humores impaetos & inertes exagitare summopere, dein aliò revellere. Jam hæc docuerunt veteres. Imminente fluxione aut jam fiente, revellendum est quod influit. Quod autem influxit derivandum per partem affectam, vicinam aut sympathicè correspondentem. Sic imminentे apoplexiâ, sub ipso humorum raptu, omni ope tentanda revulsio, derivatio autem, si perfecta fuerit. Istud autem quod ita infarctum parti, conjectura est, ut omni fluendi derivandique habilitate sit orbatum, potenter primùm derivantibus, dein revellentibus est laceendum. Plura dicere vetat temporis brevitas & dicendorum copia.



§. III^{us}.

D E A C U P U N C T U R A.

CHINENSium & Japonensium omnis ferè Medicina in moxiburio & acupuncturâ versatur. Ex his tūm conservandæ sanitatis, tūm recuperandæ petunt auxilia. Unde artistas gentes illæ feligunt inustores & acupunctores dictos, notante *Rhynio* & *Kempfero*, quorum in officinis ligneæ prostant effigies distinctis variegati coloris punctulis notatae, quibus partes urendæ aut pungendæ discriminantur. Sic autem instituitur hæc operatio.

Aurea, argentea-ve acus loco pungendo admota, vel simplici puncturâ, vel malleoli ope, vel intrà digitorum apices volvendo ad nutum medentis, vel superficiariè magis, vel profundius pro morbi sede adigitur. Triginta respirationum

(17)

respirationum spatio in parte punctâ detinetur, modò facile ferat æger, si minùs eximitur, ut denuò ter, quater, sæpiùs-ve, si necessum sit, pungatur.

Leges artis punctoriæ variæ sunt prout flatuum latex, in quibus morborum feminia ponunt, sedem altius fingit, ex quo profunditas & locus punctionis à Medicis determinatur. Hoc præcavere edocti ne nervos, tendines, arterias-ve insignes lœdant.

In pluribus affectibus hâc therapeiâ utuntur Sinenses, ast imprimis adversùs passionem colicam, aliaque nata ex flatibus intestinorum mala, laffitudines ex eâdem causâ, testicularum inflammationes, arthritidem vagam imprimis. Immò uterum gravidum acupungunt, ubi foetus ante justa partûs tempora nimioperè se movet, horrendis doloribus matrem vexans cum vitæ discriminâ. In colicâ gravissimâ endemicè grassante, punctiones geometricas in epigastrio instituunt, quibus velut incantata subitò plerùmque cessant hujus colicæ tormina.

Vesicatoriis, scarificationibus æquiparandum venit hocce auxiliî genus. Derivant enim potentiùs humores, immò & his videtur præstare quòd altius penetret & causam mali attingat.

Nemo adhuc quod sciam apud nos hanc operationem tentavit, & plurimi hanc tanquam noxiā rejiciunt. Non rectè quidem meo judicio. Lubentius enim hanc suaderem in colicis doloribus à flatu cum abdominis distensione absque febre. Hanc moxæ substituendam crederem apud ægros qui ignem reformidant, in doloribus, rheumaticis frigidis. Non incassum acupungerentur tumores à frigidâ

C

(18)

& crassâ materiâ , topicis nullomodò solvendi. Hoc con-
filio ut promoveatur inflammatio , febris localis , suppu-
ratio quæ sola sanare possunt ; in tumoribus criticis ,
parotidibus , v. g. , si ob vitæ inertiam & materiei len-
torem , metus sit , ne perfecta crisia possit absolvî.

F I N I S.



ARGUMENTA BUNTUR

N. N. D. PROFESSORES REGII.

- N. D. PAULUS JOSEPHUS DE BARTHEZ , *Regis in
Sacro Consistorio Confiliarius , Universitatis Cancellarius.*
N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ , *Decanus.*
N. D. ANTONIUS GOUAN , *Pro-Decanus.*
N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.
N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.
N. D. JOANNES SABATIER.
N. D. JOANNES-CAROLUS DE GRIMAUD.
N. D. HENRICUS LUDOVICUS BRUN.